Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 141
Quelle:
Copyright:

titia cum in *Codd.* noſtris aliis, tum in edit. *Colon.* Opp. *Rabani Mauri* T. VI. 1626. p. 333. f. Figurae tamen hinc inde non parum inter ſe variant. 3) Specimen *Monogrammatum* XIX. itaque uno plus, quam apud *Rabanum* mox *cit.* idque in voce DEVS. Adjecit Scriptor ex *Hadriani* Aug. Epigrammate: *Animula nudula ibis ad loca pallidula frigidaque. non ut ſoles dabis ioca.* Item: *Artemon. eſt uelum magis cauſa dirigendę nauis quam celeritatis.* Quod cum infra in *Gloſſis* ad *Acta Apoſt. fol.* 195. pene iisdem verbis repetatur, argumento eſſe poſſit, *Grammatica* haec et *Gloſſas* ab eodem Autore proficiſci. 4) *Notae* dictae *Caeſaris*, et S. *Bonifacii*, ut apud *Rabanum cit.* ſed Editor in poſterioribus id, quod praecipuum eſt, omiſit; poſuit enim: B. F. K. P. X. quin praemitteret A. E. I. O. V. et indicaret, illas literas harum loco in *Alphabeto Bonifaciano* ſervire. 5) Alia IV. *Alphabeta* arbitraria et arcana, in quorum *Primo* literis praecedentibus ſuae formae ſuoque valori relictis deinceps ſic proceditur:

Pro k. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. x. y. z.
ik. ia. ib. ic. id. ie. is. iz. ib. it. k. ka. kb. kc.

Secundum meris literis i et l. vel ſi mavis, lineolis perpendicularibus brevibus et longis abſolvitur ita, ut ſex primae literae conſtent una lineola brevi, longis vero usque ad numerum ſextum creſcentibus, ſex ſecundae lineolis brevibus duabus, ſex tertiae lineolis brevibus tribus, quinque ultimae lineolis brevibus quatuor, lineolis longis ſemper eundem, quem dixi, progreſſum obſervantibus. Ita.

a. b. c. d. e. f. g. h. i. k. l. m. &c.
il. ill. illl. illll. illlll. illllll. ul. ull. ulll. ullll. ullll. ullllll.

Tertium variis conſtat ductibus. *H* et *K* ſuam formam retinet; *a* pene numerum binarium 2. refert, *o* vero graecum *ę*. *Quartum* literarum loco numeros Romanos ponit progredientes ab *a.* I. usque ad *z.* XXIII. Ejusmodi luſus habes in *Job. Trithemii Polygraphia*; an autem noſtri hi praeſentes cuidam Codici ſcribendo unquam adhibiti fuerint, ignoro. Ab iis certe characteribus, quos alibi indicavi, diſtant. 6) Literarum *Hebraicarum* nomina et ſignificata, ita: *Aleph Doctrina. Beth Domus. Gimel Plenitudo. Deleth Tabularum. He Iſta. Vau Et. Zain Haec* &c. Et decurſo Alphabeto: *Poſt interpretationem elementorum intellegentię ordo dicendus eſt. Prima conexio eſt. Doctrina Domus Plenitudo Tabularum* (nempe Aleph Beth Gimel Daleth) *Quia uidelicet doctrina aeccleſię quę domus dei eſt.*